

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis Januarii, M. DCC. XXXVIII.

M. MICHAELE PEAGET,
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Luis Venereæ curationi per Frictum, potiùs quàm per Suffitum, faveant Medicæ Observationes?

I.



EST MORBUS VENEREUS, ut apprimè observat peritissimus (*a*) in rebus Medicis Scriptor & estimator, universalis humorum per totum corpus dyscrasia & corruptio, quâ particulæ acido-volatiles, non nihil viscidæ, & corrosivæ, per impurum plerumque coïtum contractæ, atque hinc toti sanguini communicatæ, non tantùm glandulosas hinc indè partes, sed & musculos, tendines, nervos, imò tendem & ossa exedunt, corrumpunt, atque ita quàmplurimis symptomatibus gravissimis, morbisque etiam variis ansam præbent. Pars non una in hoc morbo, sed integrum ferè corpus afficitur. Malum hoc in fluidis primùm nidulatur; unde partibus quoque solidis deinceps communicatur, ita ut nulla ferè pars

(a) *Zwinerus.*

five interna, five externa, immunis ab eo fit. Si cuidam, omoplatæ, clavicularum, & sterni dolores, cum vel sine ulcere, & tumores duri in capite exoriantur, præcesseritque exulcetatio in pudendo, intra vel extra, & bubones qui non profluxerint, sed retrocesserint, vel indurati sint, eos morbo Gallico laborare pro certo habendum est; alia etiam hujus luis signa certissima, capitis nempè gravitas, colli & humerorum cruciatus, qui, temporis progressu, ad brachiorum & crurum articulos serpunt, atque noctè magis quàm die torquent; exurgunt item cum doloribus, tumores præter naturam in articulis, qui tumores ægrè discutiuntur, ac tardè admodùm suppurantur; sæpiùs quoque in nodos & tophos abeunt. In palato & circa intimos oris angulos, nigræ & fœtidæ prominent pustulæ, fauces & lingua non raro exulcerantur. Hæc universa symptomata pedetentim incrudescunt; dolor præ reliquis. Hi sunt frequentes luis venereæ comites; cave tamen decipiaris, eodem enim comitatu non semper incedit subdolus hic morbus; tot tamque varias induit larvas Proteus iste, ut aliquando, nisi tota mentis acies adhibeatur, vel perspicacioribus oculis imponat.

II.

ADVERSUS tam atrox horrendumque monstrum, quænam arma suppeditabuntur? Non alia quære, quàm quæ ex mercurio, utpote solo qui Proteum hunc aptus sit vincere & vincire. Id remedii genus multi olim tanquam perniciosum inventum repudiàrunt, dum alii de hujus præstantia rectiùs & saniùs opinati sunt. Hoc remedio (*a*) dolores venerei sedantur, pustulæ, tumores & nodi dissipantur, ulceraque perpurgantur. Tota vis sanandi luem veneream posita est in solo hydrargyro (*b*), tanquam medicamento quodam divinitùs monstrato; scio, inquit Solenander, argento vivo, inveteratam luem Gallicam, post alia remedia frustra tentata, sæpenumerò curatam fuisse. » Affirmare ausim, inquit Antonius Chalmeteus, eos qui tanto- » perè mercurii usum improbant, aut nunquam, aut non ut decet, illius pe- » riculum fecisse; sed utut sit, ego tamen confirmo illius usum nunquam me » fefellisse, qui quàmplurimos ab hâc detestandâ lue, etiam inveteratâ, Dei » beneficio, liberaverim. Nos enim jurejurando affirmamus, inquit *Epiph. Ferdinandus*, *In Historiis seu casibus medicis*, » centum & quinquaginta Gal- » licos homines, omnis ætatis, sexûs, temperamenti varii, & in variis anni » partibus, unctione mercurii integrè persanasse, nullo derelicto malo sympto- » mate: Novimus, pergit, inter multos insignem experientiâ & methodo vi- » rum, *Joann. Laur. Protopapam*, qui quidem jurejurando mihi affirmavit se » plusquàm mille Gallicos homines curasse, felicissimo successu, unguento » mercuriali. Est hodie apud omnes Medicos in confesso, nullum aliud reperiri medicamentum cujus sit felicior, expeditior, atque efficacior vis in quorumcumque venereorum affectuum, tum internorum, tum externorum, sanatione procurandâ. Variæ autem extant administrandi Mercurii rationes & methodi, in quibus duæ præcipuæ numerantur, unctio nempe seu frictio, & suffumigatio. Ab aliquot sæculis concitatur salivatio unctione mercuriali, & hâc salivatione lues venerea, ut plurimùm, verùm non sine horrendis ægrorum criciantibus, persanatur. Fuit olim suffumigatio tentata, sed, uno ore, à celeberrimis Practicis Observaroribusque improbata.

(a) *Augerius Ferrerius.* (b) *Fracastorius.*

III.

CElebrantur, triplici modo, frictiones mercuriales; primo, ubi frequentibus iisque assiduis munctionibus uberior, secundo autem, ubi iisdem unctionibus, sed rarioribus, minor cietur salivatio; tertio denique, ubi perseverantibus assiduis & validioribus unctionibus, curatio, catharticorum ope, ita instituitur, ut nullus indè exoriatur ptyalismus. In primo; venæ-sectionis ope imminuitur statim sanguinis quantitas, purgatio dein usu venit tum & balnea semel aut bis in die imperantur, pro diversâ virium, ætatum & temperamentorum ratione; quibus ritè peractis, frictiones administrandæ à pedibus ad tibiarum suras, à suris ad crura media, à crurum medio ultra nates usque, ægro ad ignem radiantem sedente: adsunt, brevi, futuri pryalismi signa. Intumescere incipiunt parotides & glandulæ maxillares; » os, ut inquit Fra» castorius, & palatum exulcerantur, ac sordities tanta per os concitatur, ut » nihil fœdius, nihil intolerabilius videatur; cibus nullus mandi potest, etiam » vix sorberi datur; dentes laxantur; somnus adimitur, &, breviter, per id » tempus nihil gravius sentiri potest. « Oris calor & linguæ fœtor, simulque gingivarum rubor, salivationem prænuntiant; legitimus censetur ptyalismus, cùm salivalis humor initio ad tres quatuorve libras, intrà circiter viginti-quatuor horas, ab ore profunditur; viginti dierum spatio, plus minusve, in hoc statu languescit æger, semper in eodem cubiculo, cum iisdem linteis, & juscula duntaxat hauriens. Salivatione ad finem vergente, purgatio venit præscribenda, deterguntur oris ulcera, vires semsim redeunt, redintegratur appetitus, ac tandem sanitas restituitur, modò à peritâ manu & Medici præceptis obsequente, mercurius adhibeatur; quæ præcepta non hîc solùm, sed & in omnibus curandæ luis venereæ rationibus absolutè sunt necessaria; nam, ut Autoris (*a*) peririssimi verbis utar; Medicos constat esse unos qui hujus morbi naturam, signa, symptomata, larvas, & complicariones, simul & remedia quibuscunque morbis huic sociatis convenientia perfectè dignoscere valeant. Secunda methodus in hoc tantùm à primâ discrepat, quòd parciores unguenti doses, & per intervalla remotiora usurpantur; sed ex minoribus mercurii dosibus, & similiter per intervalla distantiora exhibiti, curatio diutior: à celeberrimis autem Medicis (*b*) commendatur hæc methodus. Cætera omnia, ut in primâ methodo eâdemque ratione, geruntur. In hâc methodo, sicut & in priori, salivatio excitatur sed minor. Salivatio autem ægros ita discruciat, ut non parum de genere humano mereretur qui minùs crudelem hujus morbi sanationem reperiret, quid, inquam, reperiret? Reperta jam est, & hæc est methodus quam suprà diximus esse tertiam; utinam hanc viam cuncti Medentes eligerent. Quidam (*c*) jam sunt qui eam calcare, felici ausu aggrediuntur, spretis plerorumque empiricorum clamoribus, in hâc arte omninò cæcutientium. Quænam igitur hæc est methodus? In frictionibus sicuti prima & secunda consistit, hoc discrimine, quòd ad sedes inferiores, salivationis mareria deturbatur, ita ut ptyalismus nullus inde subsequatur. » Mo bus Gallicus, in» quit *Paulus de Sorbait*, curari potest per mercurium absque salivatione, » si divertatur; divertitur autem salivatio, si mercurius miscetur purganti-

(*a*) Theod. Baron, filius, Facultatis Parif. Doct. Med. Question de Medecine, où l'on examine si c'est aux Medecins qu'il appartient de traiter les maladies vénériennes, &c.

(*b*) Deidier, Chicoyneau, &c. (*c*) Lobcra, le Hock de Brakenau, Vella, Massa, Zecchius, Almenar, Joan. Benedictus, de Mayerne, Georg. Wedelius, Sorbait, Benedic. Silvaticus.

» bus medicamentis, vel, ſumpto pridiè mercurio, poſtridiè inſtituatur purgatio. Priores autem methodi ptyaliſmum promovent; hæc poſtrema diarrhœam, quod præſtatur purgationis ope, ita adminiſtratæ ut quotidie alvus fluat. In hâc methodo hydrargyroſin antecedere, & ſubſequi non tantùm, ſed & ſemper comitari, debet alvi fluxus. Æger quotidiè inungitur primis diebus; ſubſequentibus verò alternis; purgatio autem creba repetitur. Hâc arte præcavetur. crudele ptyaliſmi ſupplicium. Mercurio, magnâ licèt doſi adhibito, inungitur æger abſque noxâ, abſque periculo; virus omne venereum cum mercurio per inferiora deturbatur. Quò natura vergit eò ducere oportet per loca magis naturæ convenientia, inquit Hippocrates. Quid autem, hâc in re, coveniehtius quàm inteſtina jamjam ad excrementorum corporis eliminationem deſtinata? Hâc methodo dentes conſervantur, ſervatur & appetitus, inflammatio glandularum ulceraque oris præcaventur, citò denique, tutò, & tolerabili ratione ſanitas procuratur. Huic methodo favent quàm plures Practici (*a*) celeberrimi, eam feliciter erga innumeros ægrotantes experti. » In adminiſtratio» ne unctionum, inquit Wendelinus le Hock de Brackenau, dabis me» dicinam ſolutivam, eâ intentione ut materia quæ deberetur pelli ad os, » ne fiat nocumentum in ore, per loca inferiora ducatur. Si non fluat » alvus inquit Rondeletius, in unctionum uſu, utile erit ſyrupum laxati» vum preſcribere; hæc evacuatio impedit effumationem ad os, à quâ » ulcera oris & dentium ſordes proveniunt; quare ad hæc, vel majora vi» tanda, utile erit purgare. Nullum præſentius remedium cenſeo, ait Au» tor (*b*) celeberrimus, inunctione ex hydrargyro, juxta artis legem præſ» cripto, quum ſolo hujus uſu omnes convaluiſſe obſervaverim citra pe» riculum ullum, hâc tamen lege ut coërceatur humorum impetus ad fau» ces, quâ viâ plurimùm expurgantur, iiſdem, aliquâ ſaltem parte, blan» dis, lenientibus & laxantibus clyſteribus, ad alvum revocatis.

I V.

POSTREMA quam aſſignavimus curandæ luis venereæ methodus, ſuffumigatio nempe, apud priſcos ignota minimè fuit; cùm ante ſæculum decimum-ſextum jam fuerit celebrata. Scribit Medicus (*c*) Anglus celeberrimus Fracaſtorium * eſſe primum qui de hâc mentionem fecerit; ſed errat, plures etenim annos ante Fracaſtorium, de ſuffumigatione ad luem veneream curandam ſcripſerunt Authores celeberrimi? Jam Bologninus (*d*) ſuffumigationum » mercurialium uſum indicaverat; idem fe» cerant Maſſa (*e*) & Matthiolus « (*f*). Erant autem ſuffumigationum ſpecies variæ, quarum ferè omnium baſis erat cinnabaris. * » Cinnabaris » quæ ad ſuffimentum adhibetur, nihil aliud eſt quàm hydrargyros per» ſonnatus, & idcirco eadem affert commoda atque incommoda; longè » tamen efficacius eſt ſuffimentum cinnabaris, quàm ceratum aut emplaſ» trum ex hydrargyro, cùm magis ad intimas partes feratur vapor ille » per cutem à calore rarefactam, quàm craſſior materia tam cerati illiti » quàm emplaſtri ſuperimpoſiti; quamobrem tantùm abeſt ut minùs ſuſ» pectum eſſe debeat ſuffimentum, quàm ceratum vel emplaſtrum, ut lon-

[*a*] Hartman, Mayerne, Liſter, Ucay, Vercelloni, Deſault.
(*b*) Benedictus Silvaticus, Conſil. & reſponſ. Centuria tertia, xc.
[*c*] Daniel Turner. * Scripſit Fracaſtor. anno 1545. [*d*] 1516. [*e*] 1532. [*f*] 1535.
* Vldus - Vidius, Tom. ſecund. Partis ſecundæ, Lib. decim. cap. xiv.

» gè magis perniciofum ſit, minùs periculoſum eſſet ſi tantùm crura & » brachia ſuffumigatentur; ſed quod ſæpe exitioſum eſt, ſuffumigatur ven- » ter & thorax, & incluſo atque obvoluto capite attrahuntur venenati il- » li vapores ore ac naribus. Alia via, inquit *Epiph. Ferd.* luem veneream » ſanandi eſt, per ſuffumigia, quibus empirici debellant Gallicam hydram, » quæ quidem via periculoſa magis quàm inunctio; nam baſis ſuffumigio- » rum eſt per cinnabrim, &c. Quidquid ſit, quum plures Medici (*a*) jam pridem de ſuffumigatione mentionem fecerunt, & ferè omnes obſervationibus ſuis eam reprobarunt. Quæ ſit autem ſuffumigandi modus ſi quæras, auſculta. » Paramus thalamum parvum, inquit *Fallopius*, quem validè ca- » lefacimus, ut ſit ſudatorium vel balnei locus; deinde paramus tentorium, » ex materiâ denſâ, ſub quo ollam carbonibus flagrantibus plenam impo- » nimus, ipſumque ægrum collocamus ſubter, qui, ſedeat in ſede parvâ, » ac habemus materiam paratam quam ſenſim igni inſpargimus, & fumus » in tentorio circumvolvens ſe detinet, corpus ipſum attrahit, & cùm ma- » teria deficit, ſubminiſtratur alia, atque alia, prout valet pati æger. No- » tate tamen ut dum eſt ſub papilione, ſemper eum interrogetis, nè defi- » ciat animo, quia ſæpe id incidere ſolet; ſi levi voce reſpondet, ſtatim » extrahetis, vel ſi dicat ſupervenire deliquium animi, eripiatur ſubitò; » quia aliqui ferre non poſſent. Ego autem occurro huic ne ſuperveniat; » appono arrundinem longam ac perforatam, quæ extra papilionem tendat, » per quam impoſitum in ore aërem trahit, non perpetuùm quidem, ſed » quando eſt maximè calefactus, oportet enim attrahere ſuffumigium non » ſolùm per poroſitates, ſed etiam per os atque nares. « Alii, ut adnotat Alex. Traj. Petronius, abſque papilione ſuffiunt, ope cannulæ ſtanneæ, in ſummo anguſtæ, tum patiens partem anguſtiorem ore capiens, labris ſtrictis vaporem trahit, hoc interdum ceſſans, quò reſpiret, interim digito aut aliâ re, foramen quod ore tenet claudit, ne vapor omnis exhalet; recreato ſpiritu mox iterum revertitur. Aliam ſuffumigandi methodum refert idem Traj. Petr. candelam ſcilicet, quæ ex minio naturali & cerâ conficitur; hæc accenditur, & vaporem ab incenſâ inſpirat æger per nares & os. Alteram narrat ſibi propriam noſtræ ætatis celeberrimus (*b*) Author. Sedet æger inquit, in papilione ſupra ſcamnum aut cathedram, ollam ſuprà genua tenens, in qua ponitur later ferro mediocriter calenti recipiendo idoneus, ſupra quod ferrum inſpargitur drachma una cinnabaris in tenuiſſimum pulverem redactæ, & undique circumvoltus æger, ne vapor exhalet, ore & narribus fumum trahit. Hæ ſunt præcipuæ ſuffimentorum methodi.

(a) *Nempè*,

Alcazar,	Frizimelica,	Montuus,	Saxonia,
Bolagninus,	Fallopius,	Minadoüs,	Joan. Saporta,
Botallus,	Ferrerius,	Mercatus,	Tomitanus,
Joan. Benedictus,	Ferdinandus,	Macollo,	De Torrez,
Cotaneus,	Ghinus,	De Mayerne,	Turner,
Chalmeteus,	Leo,	Paſchalis,	Victorius,
Capivaccius,	Laurentius,	Petronius,	Untzerus,
Clovves,	Maſſa,	Perdulcis,	Wedelius,
Colle,	Montanus,	Rondeletius,	Vidus-Vidius,
Fracaſtarius,	Maggius,	Ran hinus,	Zecchius,
	Muſa-Braſſavolus,	Anton. Saporta,	Zacutus, &c.

(*b*) Daniel Turner, Anglus, ſcripſit anno 1732.

V.

SPONDENT quidam, si suffumigationes adhibeantur, profligatum iri omnes morbos venereos. Quid autem tanto hiatu dignum hi promissores ferunt? Verba. Contrá vetò Autorum hâ in arte versatissimorum observationes si consulas, malefidam omninò ac perniciosam (c) & lethalem esse hanc methodum reperies.

» Antequàm ad declarationem modi hujus suffumigii accedam, inquit *Nicol. » Massa*, oportet imprimis medentes admonere, quòd iste modus non est » sine timore nocumenti membrorum principalium; imò sæpe recidivant & ad » malas ægritudines complicatas deveniunt, ut sunt astma, tussis, hydropos, » & marasmus. Rarissimos vidi, inquit *Musa-Brassavolus*, qui fuerint per suf- » fumigium, ab affectu Gallico penitùs absoluti, licèt aliqui plus temporis » intermiserint, alii minus, à recidivatione, sed pro majori parte in recidivam » incidêre. Suffumigatio, inquit *Alex, Traj. Petr.* in intima penettat, omnia » permeat, rodit, ulcerat, venenum est, suffocat vapore suo, gingivas pu- » trefacit, dentes cadere facit, asthma movet, tussim, hydropem, maras- » mum epilepsiam, apoplexiam, paralysim..... profectò autem nunquam » adhiberi debet, nisi tibi nulla spes ab aliis offertur, & ferè desperata sa- » lus est, in hoc discrimine satius est id ipsum experiri quàm nihil.

Damnat empiricorum suffumigia Joann. Bened. in quibus ponitur cinabrium, tanquam præsentissima venena, & cujus fumo vidit periisse quemdam nobilissimum pictorem Bononiæ, & mulierem devenisse ad apoplexiam.

» Apud empiricos, suffmigiis indicus morbus profligatur, inquit Fallop. » quæ ratio curandi non est regia, quia sæpè ac sæpius gravissima succedunt » incommoda, nec ita tutò procedit talis curatio. Aliquibus enim pessima & » lethalis est. »

» Oportet, inquit *Author* (a) *inrebus Medicis maximè versatus*, medicos » abstinere à suffitu cum cinnabari composito, quia magis, hoc pacto, fumus » (pro universali usu tnstitutus) pulmones fecit, quàm partes afficit extimas » alias, unde facilior læsio quam usus. »

Hoc remedium non admodùm tutum est, ait *Colle Elucidarium Chirurgicum*, *cap. XII.* Cùm non sit horum suffumigiorum perfecta experientia, inquit *Lobera*, mallem quibuslibet aliis remediis narratis uti, cùm non adeò formidabilia existant, nec tam vehementia. Suffumigium esse, ait *Fracastorius*, accerbissimum medicamentum, quo nunquam ausus est, uti ad totum corpus, sed ad certas tantùm partes, ut crura & brachia.

» Suffumigia, inquit *Zacutus*, suspecta sunt remedia, & in actuali eorum » applicatione plures sunt mortui. Contendit *Mercatus* tam sæva & periculo plena esse suffumigia, ut vix prudens & cordatus Medicus iis uti tutò possit.

Innumeras aliorum veterum observationes huc adducere abstinemus, ne longiùs procedat sermo. Quantùm verò ad recentiores authores, audi imprimis clariss. Daniel. Turnerum: licèt, inquit, veræ sint laudes quas suffumigationi, concesserim, ad ulcerr venerea sananda, moneo tamen, cùm hæc ulcera symptomatibus stipantur, radices, ut ferè fit, intimas & firmas haben-

(c) Gab. Fallop. Frizim. Tomir.

(a) wedelius, Amœnitates Mat. Med.

(b) D. Astruc, Epist. prima, recèns edita adversus Chirur. pag. 4. Epist. tertia, recèns edita adversus Chirur. pag. 11.

tibus, neminem posse hâc suffumigatione solâ radicalem sanationem sperare.

Suffumigationum methodus tanquam sapienter proscripta mihi videtur; inquit (*b*) Author celeberrimus adhuc recentior, quare (pergit) in eâ explicandâ tempus terere superfluum esse existimo.

Siquis objiciat suffimenta feliciter aliquando celebrata fuisse, id beneficii auxilio frictionum simul usurpatarum acceptum referri debet; » in foro ungebam, inquit *Nicol. Massa*, & mane, sub tentorio posito: cum suffumi- » gio scripto suffumigavi, postea iterum cæpi ipsum inungere & suffumigare, » & istis factis, per quindecim dies continuos, liberatus fuit æger. »

» Non inutile erit, *inquit Nicol. Botal.* leniter illinire dum in tentorio est » patiens. Obstinatis gummatibus, nodis, prout etiam pertinacibus doloribus » fumo non cedentibus, efficax inunctio proficere non parum solet, inquit » *Carolus Musit.* de Lue Venerea *lib.* III. Unde præparato ægro, *pergit*; » prout de fumo adhibendo diximus, omnia observanda sunt, præter quod » antequàm dolium æger ingrediatur, inungi debet.

Quantùm verò ad frictiones spectat, eas ab omnibus ferè medicorum observationibus comprobatis esse constat. Clarissim. *Bolognius* qui primus de frictionibus miracurialibus scripsit (*), fusè hanc methodum exponit, aitque frictiones mercuriales remedium esse securius. Narrat. *Anton. Musa Brass.* se rarissimos vidisse qui per inunctionem mercurialem non sint sanati & restituti. Refert *Nicol. Massa* se quemdam Gallicâ lue infectum inunxisse hydrargyro, & ita restituisse ut nunquam recidivam passus fuerit, sed sanus diutiùs supervixerit, quamvis initio ab omnibus incurabilis haberetur.

Multa quoque narrat exempla Gallicorum *Forestus*, in suis observationibuss partim à se, partim ab aliis inunctione argenti vivi feciliter curatorum ac restitutorum. Ut in quibusdam, inquit Antonius le Cocq, Facultatis Med. Par. Doctor celeberr. de frictionibus mercurialibus sermonem habens, » fortè » felici successu non sit responsum, curantis vel imperitiâ, vel decumbentis » vitio vel certè morbi previcaciâ, innumerabiles tamen hoc uno remedio cu- » ratas nullo vestigio relicto, congnovimus.... ut planè amuletum hujus luis » credi oporteat quasi antipharmacon alexiterion..... Temeraria multis pu- » tatur hæc medicina, nec minùs ipso morbi impetu reformidanda, sine quâ » tamen patrum memoriâ, neminem unquàm rectæ sanitati restitutum constat.

His testimoniis, aliisque innumeris celebriorum Medicorum (*a*) qui frictiones mercuriales felici cum successu adhibuerunt, patet has frictiones observatas semper fuisse cæteris omnibus remediis antecellere: nec mirum ideo illustris. hujusce temporis Authorem (*b*) fateri, has frictiones reme-

(a) *Scilicet*,

Almenar,	Botallus,	Hartis,	Benedic. Silvaticus,
Alcazar,	Borgarutius,	Lobera,	Joan. Saporta,
Amatus Lusitanus,	Chalmeteus,	Massa,	Saxonia,
Arnoldus Weikardus,	Capivaccius,	Matthiolus,	Anton. Saporta,
Astruc,	Ferdinandus,	Macollo,	Sydenham,
Benivenius,	Forestus,	Mercatus,	Sorbait,
Bologninus,	Fracantianus,	De Mayerne;	Turner,
Bethancourt,	Fontanus,	Protopapa,	Untzerus,
Blondel,	Ferrerius,	Perdulcis,	Wiseman,
Joan. Benedictus,	Gallus,	Rondeletius,	Varandæus,
Brassavolus,	Ghinus,	Ranchinus,	Zacutus, &c.

(*b*) Joan. Astruc, Epist. secunda, recèns edita adversus Chirur. pag. 11. * 1716.

dium esse efficacissimum in lue venereâ curanda, hujusque inventum omnium Medicinæ beneficiorum esse præstantissimum. Licèt tamen (quod pace tanti viri dictum sit) desperandum omninò non esse existimemus, corrigi forsan, emendari, & perfici, aliquando sic posse fumigationes, ut quantùm olim aut damnosæ, aut inutiles observatæ sunt, tantùm deinceps utilitatis & salubritatis adepturæ sint.

Ergo Luis Venereæ curationi per Frictum, potiùs quàm per Suffitum, favent Medicæ Observationes.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Joannes de Diest,
M. Josephus de Jussieu,
M. Henricus-Franciscus Bourdelin,
M. Antonius-Joannes Daval,
M. Otto-Casimirus Barfeknecht,
M. Robertus-Hubertus Linguet,
M. Philippus Caron, antiquus Facultatis Decanus.
M. Alexander-Petrus Mattot,
M. Petrus-Joannes Burette, Professor Regius & è Regiâ Numismatum Academiâ.

Proponebat Parisiis CAROLUS DIONIS, Parisinus, Baccalaureus Medicus‡, A. R. S. H. 1738. à sextâ ad meridiem.

‡ Theseos author

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1738.